Lane M.

DE
TABE DORSUALI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XV. M. APRILIS A. MDCCCXLIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ERNESTUS KUSCHEL
GLACENSIS.

OPPONENTIBUS:

FRANC. KOCK, med. et chir. Dr., med. pract.
FRID. HESSING, med. et chir. Dr.
G. M. NEISSER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0186

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE SUMMA PIETATE COLENDIS

HAS

QUALESCUNQUE STUDIORUM PRIMITIAS

AMORIS SUMMI ET ANIMI GRATISSIMI

SIGNUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Nova et inaudita dicere divis tantum ingeniis convenit, nobis autem tironibus dicta eorum admirari atque in usum nostrum conferre. Et profecto vix sufficit quadriennium, ut cognoscamus, quae alii ex vasto campo scientiae medicae nobis tradidere, nedum ut proprii quid et nondum pervulgati in medium edamus. Quare quum dissertationis scribendae necessitate constrictum me viderem, ex magna, qua exuberat ars, rerum copia eam potissimum elegi, ad quam investigandam observandi occasione plu-

ries oblata virium exiguitas quam minima manca sit. Caeterum hasce juvenis, qui vix primoribus labris artem gustavit, primitias ea, qua par est, indulgentia censum iri spero, peto, confido.

Tabem dorsualem, atrophiam medullae spinalis, myelophthisin siccam, tabem coxariam sive ischiadicam, atrophiam dorsi, massam minutam inprimis inferioris ejus partis, caudae equinae dicunt, qua anaesthesis et exinde atrophia et paralysis earum corporis partium exoriantur, quarum nervi ex tabescente medulla spinali originem ducunt. Cauda equina saepe dimidiam tantum vel tertiam ambitus normalis partem praebet et omnis substantiae nerveae expers apparet. Accuratiore tamen perscrutatione aliquantulum medullae adhuc singulis nervorum fasciculis inesse docemur. Substantia nervea colorem flavidum ex luteo cinereum aut viridem prae se fert et consistentiam justo molliorem habet. Medulla passim constricta, quasi nodosa invenitur. Cui medullae conditioni similem nervorum inde proficiscentium deprehendimus, energiam scilicet debiliorem solitamque vim consumptam.

Ut accuratius alterationis, quam offert necropsia

eorum, qui hoc morbo obiere, rationem demus singulorum casuum exquisitorum mentionem facturi sumus.

Juvenis (1) XXII annorum, constitutione firma antea usus, sed onaniae flagitio corrupta, postquam decem septimanas morbum perpessus est, mortem obiit. — Corpus valde intabuit. Cerebrum multo sanguine impletum et ventriculi ejus laterales aliquantum humoris aquosi continebant. Pulmones tuberculis infiltratis et cavernis erant affecti, ita ut ne quarta quidem substantiae pars structuram servasset normalem. In intestinis nihil morbosi. Sed memoratu dignissima erat medullae spinalis conditio, quae a medulla oblongata ad caudam equinam usque proprium tabescentiae statum praebuit. Hoc enim in casu haud, uti solito, substantia nervea intabuerat, sed tela cellulosa nervos involvens tantopere evanuerat, ut tota medulla spinalis fere speciem caudae equinae accepisset.

In cauda equina non solum velamentorum, sed substantiae ipsius quoque detrimentum factum est. Testes plane decreverunt.

V. B. (2), medicus IL annorum, tabe dorsuali multos per annos laborans, febri intermittente cum charactere fere nervoso succubuit morti.

1. De habitu corporis externo notandum est, neque

---

(1) Rust's Magazin. XXII. pag. 476.

(2) Lud. Jacoby, Exemplum tabis dorsualis epicrisi ornatum. Berol. 1842.

putredinis vestigia adfuisse neque macritudinem aut flaccitatem cutis, musculorumve justo majorem, exceptis extremitatibus inferioribus, quae laxitate et macie reliquas corporis partes aliquantum certe superaverunt.

2. Spina dorsi ipsa a conditione naturali neutiquam abhorruit; aperta autem cavitate et dura matre medullae spinalis resoluta copia satis parca liquoris serosi effluxit, qui antea saccum durae matris ex parte expleverat. Dura mater ipsa neque ad crassitudinem neque ad colorem a statu recessit normali; in ligamenti autem denticulati utroque latere laminae quaedam osseae, magnitudine satis exigua, passim insidebant, quales in ligamento denticulato quoque inventae sunt medullae spinalis, quae ad manum fuit, ceterum normalis. Resecta dura matre arachnoidea apparuit nonnullis locis ad cartilaginis consistentiam incrassata. Pia mater neque vasis sanguiferis nimis oppleta neque alia quadam indole morbosa insignita erat. — Medulla spinalis, quam inter et sanam magna illico in conspectum venit differentia, $\frac{2}{3}$ tantum quod attinet massam sanae medullae effecit, consistentia ad faciem posteriorem potissimum ultra modum aucta. Superficies ejus posterior e griseo flava, semipellucida fuit propter attenuationem funiculorum posteriorum, anterior normalis. Intumescentia lumbaris tantum ambitus perdiderat, ut vixdum distingui posset; intumescentia superior paululum tantum complanata videbatur. Funiculi medullae anteriores ambitum, colorem, densitatem normalem exhibuerunt; posteriorum substantia alba ita evanuerat, ut in

inferiore potissimum regione omnis deesse videretur, fere semipellucidi colorem e flavo griseum induerant. —

Involucra funiculorum, qui caudam equinam componunt, venis sanguine admodum repletis ornata erant, quae oppletio post mortem demum exorta esse videbatur. Quod attinet ad radices nervorum, posteriores ad speciem externam aquosae, ut ita dicam: atrophia mirum in modum excelsae erant, quam indolem inde ab infimis usque ad medias fere dorsales exhibuerunt, sensim aeque ac funiculi posteriores ipsi a statu morboso in sanum transeuntes; anteriores a conditione normali non discesserunt, quatenus ex comparatione cum posterioribus medullae ejusdem et sanae medullae anterioribus judicari potuit.

3. Cranio aperto calvaria quidem habitu sese praebuit normali, dura mater autem ad faciem internam rubore flocculento passim tincta erat. Inter arachnoideam et piam matrem, quarum neutra morbosi quidquam exhibuit, copia sat parca liquoris serosi adfuit; cerebrum ipsum hasce a normali obtulit differentias; thalamus nervi optici dexter paululum planior apparuit sinistro; structura ejus ceterum non alienata erat, pons Varolii tenuitate fuit majori, quam quae in sano cerebro inveniri solet. Chiasma nervorum opticorum, tractus optici, nervi optici atrophia satis luculenta insignita erant, dum nervi oculomotorii aeque ac reliqui nervi cerebrales statum obtinent normalem.

4. Thorace aperto pleura pulmonalis sinistra ad-

haesionibus vetustis cum pleura costali connata apparuit, id quod minori gradu in dextra quoque adfuit; in lobo medio pulmonis dextri pars aliqua hepatisatione correpta fuit, sinistro omnino normali. Pericardium et cor nihil a solita indole abhorruerunt; aorta adscendens aneurysmatice dilatata ad faciem internam lamellis quibusdam osseis obtecta fuit; aneurysma ipsum, juglandis fere magnitudine, prope originem aortae fuit et coagulis per strata dispositis refertum, quae, quo propius ad parietes aortae accedebant, eo densiora facta sunt, colore simili ratione e rubro fusco in griseum commutato.

5. In abdominis cavitate haec obviam facta sunt: ventriculus, pancreas, hepar typum sanum sunt secuta; vesica fellea pro reliquo apparatu felleo paululo major; ductus biliferi intra jecur bile valde tincti erant; lien justo solidior, quod attinet magnitudinem, colorem, structuram maximam partem normalis fuit, excepto medio, qui nodum carni musculari similem aequavit. Facies interna duodeni prae jejuno et ileo, quorum neutrum a norma abhorruit, intumescentia glandularum granulosa et ulceribus nonnullis nobilis erat. Colon adscendens praeter venas sanguine ultra modum repletas nihil memorabile exhibuit; in coli descendentis et recti superficie interna pus et ulcera multa in ramorum formam dispersa, specie irregulari et magnitudine varia adfuerunt, quorum margines neque callosi nec alia indole nobiles erant, fundo ita demisso, ut tunica muscularis hac re in conspectum veniret.

6. Organa genitalia et uropoëtica naturam fere omnino sanam retinuerant, excepta substantia corticali et hilo utroque renali per liquorem, qui transsudaverat, flavescentibus. Weidenbach (1) caudam equinam hominis, tabe dorsuali ex nimia venere defuncti, re vera tabe confectam se deprehendisse affirmat.

Ollivier (2) de idiota quodam tabe dorsuali demortuo haecce nobis refert. Substantia medullae spinalis consistentiam normalem, sed ambitum dimidio minorem prae se tulit, et intumescentia lumbalis ita intabuit, ut medullae ambitus ad finem usque extremum sensim conficeretur. Horn (3) necropsia hominis tabe dorsuali consumpti invenit in regione lumbali canalis columnae vertebralis circiter unciam liquoris serosi, tunicas medullae spinalis aliqua ex parte sanguine impletas, duram matrem consistentiae adauctae, totam medullam spinalem, inprimis inferiorem ejus partem atrophicam. Substantia cinerea a substantia alba distingui non potuit. Caudae equinae funes mirum in modum tenues et omnis substantiae nerveae expertes. Ossa cranii crassiora, in cavo cranii copia liquoris aquosi sat magna, quae haud dubie ex cavo columnae vertebralis eo pervenerat, thalami nervorum opticorum, corpora geniculata et quadrigemina valde minuta, nervi optici complanati et graciles.

---

(1) De tabe dorsuali. Berol. 1817.
(2) De la moelle épinière et de ses maladies.
(3) De tabe dorsuali prolusio. Berol. 1827. 4.

SYMPTOMATOLOGIA.

Discernimus stadium irritationis et stadium paralyseos.

I. Stadium irritationis.

Aegrotus parva corporis intentione praecipue extremitates inferiores et lumbos defatigatos sentit, eundo vacillare incipit, inprimis cum stare aut erigere se velit, operam impendat necesse est. Lumborum, crurumque musculi emacescere incipiunt. Femorum, crurum, pedum ligamenta languida fiunt, ita ut articulorum superficies plus minusve deflectantur, latiusque quam in conditione sana pateant. Haud raro sensus quidam formicationis per dorsi spinam descendit, interdum autem dolor punctorius nunc lenior, nunc vehementior, per eam trahitur, interdum frigoris sensatione corripitur, vel etiam torporis omnia praebet signa. Vexatur aegrotus liquoris seminalis excretionibus involuntariis aut nocturnis aut diurnis, quae oriri possunt excitationibus libidinosis, corporis intentionibus, inprimis sub alvi et urinae excretione, cum voluptate aut aliqua aut nulla, saepius sine ulla, plerumque sine perfecta penis erectione. Si aegri coitum inire conantur, sperma aquae simile et odoris expers prius effluit, quam penis in vaginam intrat. Lotium saepe retineri non potest, quum stimulus mingendi appareat, urina jam effluxit. Interdum etiam non enuresin, sed dysuriam conspicimus. Laesa digestionis si-

gna varii generis invenimus. Ciborum appetentia aegroti carere non solent, imo haec usque ad famem caninam saepius est adaucta. Cibi magna copia assumpti non satis assimilantur, nec legitime in organismi usum convertuntur. Alvus interdum prorsus obstructa, interdum tarda, nonnunquam torminibus conjuncta. Caput dolet, gravatur, vertigine afficitur, aures tinniunt, crura, articuli, lumbi dolent. Nulla per somnum recreatio, animus hypochondria laesus, mentis functiones lapsae. Aegri loca amant solitaria, omnem hominum societatem fastidiunt ac fugiunt, nec raro vitae pertaesi manum sibi ipsi inferre conantur. Sunt, qui procedente morbo memoria propemodum destituantur et in fatuitatem conjiciantur. Quidam tamen ad vitae usque terminum extremum serenae hilarisque mentis erant. Facies livida et pallida animi moestitiam denuntiat. Oculi languidi, aut foedi, truces, in amblyopiam deferuntur.

II. Stadium paralyseos.

Virtus motoria extremitatum inferiorum sensim sic diminuitur, ut aegroti aliis non auxiliantibus ingredi non possint. Pedes a calcaneo ad coxam usque quasi surdi. Brevi spatio praeterlapso debilitatem hanc in paralysin aut sine aut cum dolore transire videmus. In ambulatione plerumque genua, cum aeger insistere velit, neque recta sunt, neque prorsum flexa, sed potius retrorsum musculorum flexoriorum statu sano extensoribus praevalentium contractilitas minuitur, ligamenta genu relaxantur et inde haec oritur retroflexio. Paralysis

autem non solum ad extremitates inferiores extensa est, sed per omnes musculos, qui nervos a truncis e cauda equina proficiscentibus accipiunt, et per sphincterem igitur vesicae urinariae anique, nec minus per lumborum et pelvis musculos. Emaciatio adaugetur. Aegrotus sedendo quoque vacillare solet. Enuresis perfecta. Organa genitalia atrophia laborant, excretione seminis involuntaria cessante. Aegri modo morositate summa taedioque societatis humanae, modo animi tranquillitate et spe phthisicis propria tenentur. Itaque fit, ut saepe tabe dorsuali laborantes mali gravitatem non divinent: bono laetoque animo esse et effectum remediorum ad eum solummodo finem exhibitorum, ut tranquilliores reddantur, laudare solent, etiamsi macies, paresis, universa morbi indoles ac symptomata exitum lethalem appropinquare certo indicent. Paralysis denique etiam in cerebrum transit; amblyopia in amaurosin exit, surditas et stupor summus exoriuntur. Capilli canescunt, et partim quidem decidunt. Quibus symptomatibus oedema pedum et manuum, diarrhoea sudorque colliquativus accedunt, donec tandem aegrotus succumbat.

DIAGNOSIS.

Morbi, quibuscum tabes dorsualis forsan confundi possit, praecipue hi sunt: Myelitis, alii medullae spinalis morbi, rheumatismus, psoitis, fluor albus chronicus.

Myelitis haecce offert symptomata: Dolores punctorios, lancinantes, urentes, saepe rheumaticis similes secundum dorsum, qui motu quidem sed pressu non adaugentur, initio remittentes, deinde permanentes; pulsus irritatos, inaequales urinae et alvi excretiones retardatas, motus convulsivos insultibus epilepticis non dissimiles, deliria ecstatica (1), inspirationem laboriosam, aphoniam, hydrophobiam, paralysin spasmis interruptam concomitante febri. Myelitidem vulgo calor in columna vertebrali sequitur, quo tabe dorsuali laborantes non vexantur, nisi simul congestionibus crucientur haemorrhoidalibus. Omnia myelitidis symptomata celeriore decursu gaudent, quam quae tabem dorsualem comitantur. Myelitis transit in suppurationem, gangraenam, exsudationem, indurationem, de quibus morbi conditionibus initium et origo nos reddunt certiores. Saepius vero fit, ut myelitidem tabes dorsualis subsequatur. Myelitidem plerumque observamus in parvulis, tabem dorsualem nonnisi in adultis. Tabem dorsualem cum rheumatismo haud

(1) L. W. Sachs, Handb. d. natürl. Syst. d. pract. Med. Th. I, Abth. I, Leipz. 1828. p. 227.

facile confundes, si respexeris caetera tabem dorsualem concomitantia symptomata.

In psoitide motiones partium morbo affectarum vehementissimis conjunctae sunt doloribus, thoracis et abdominis visceribus integris. Psoitis plerumque unum tantum latus occupat.

Infitias non eundum est. fluorem album diuturnum, vehementem et chronicum feminarum maximam debilitatem, quin etiam tabem excitare et stabilire posse ac multifariam tabi dorsuali non absimilem esse. Hujusmodi mulieres macrescunt, variis capitis, dorsi et lumborum doloribus conflictantur, animo demisso ingrediuntur et vel minima exaltatione cordis palpitationem vehementem et anxietatem patiuntur; praeterea dyspnoea, anorexia, interdum vomitu nec non diversis digestionis vitiis et semper fere alvo obstructa vexantur, quibus gravitas et languor extremitatum inferiorum, tremor perpetuus artuum et denique febris lenta, mortis nuntia, accedunt. Hac in tabe ex fluore albo coorta systema nervosum insimul est affectum, nec unquam inter initia morbi prae ceteris conspicua imbecillitas et relaxatio fibrarum muscularium in extremitatibus inferioribus, neque emaciatio musculorum dorsi. nec vitia vesicae urinariae tabi dorsuali propria observantur.

Restat nunc, ut varias ischiadis nervosae species, paralyses, pollutiones diurnas, nocturnas commemorem, quae conditiones, quamvis ab aliis auctoribus in sympto-

matibus, ab aliis in sequelis tabis dorsualis numerentur, morbum ipsum constituere non possunt.

AETIOLOGIA.

Causa occasionalis.

Excessus in Venere, nimium scilicet coitus exercitium, masturbatio nimia. Hi autem excessus ante tabem ipsam pollutiones crebras, nocturnas et diurnas excitare, aut sine his in eam transgredi possunt. Constat igitur haec causa occasionalis ex duobus momentis, partim ex irritatione organorum genitalium nimia, praesertim quum singuli excessus, quibus vita talis est composita, usque ad exinanitionem perducuntur, partim e maxima seminis profusione. Maximam hujus liquoris partem succum esse prostaticum in dubium vocari non potest, quum liquor quoque coitu normali ejaculatus maxima ex parte per hanc glandulam progignatur. Telam cellulosam, prope prostatam accumulatam, ad priores ejus et crebras et intensas actiones congestionesque per has ad eam commotas omnino referendam puto.

Experientia (1) docet ex irritatione, quae semine nimia copia producto, quod neque coitu normali neque

---

(1) G. A. Richter, neue med. und chir. Bemerkungen, pag. 121.

pollutionibus non invitis et hoc in casu quidem saluberrimis excernatur, est effecta, causam onaniae indeque tabis dorsualis pendere posse. Quae irritatio nimio semine coorta, inprimis quum onaniae flagitium antea crebro exercitum feliciter sit superatum, multos alios nervorum morbos excitat, e. g. spasmos, melancholiam, maniam etc.

Causa occasionalis augeri ejusque effectus confirmari potest excessibus in Baccho et in Venere quam creberrime junctis; deinde aphrodisiacorum, quae dicunt, usu, quando debilitate partium genitalium jam orta stimulus naturalis desideratur.

Porro coitus stando exercitus, aut pedum nimis eundo, equitando, stando etc. in universum defatigatio causae occasionali adnumeranda est. Denique affectibus etiam perturbationibusque animi, cupiditatibus, phantasiae irritatae, intemperantiae libidinis interdum ad summum usque fastigium progressae, multum causae tribuendum esse negaverit nemo. Si jam successiva medullae spinalis pressione in hydrorrhachitide corpus maximopere tabescere et paralysin extremitatum enasci videmus, quanto magis vitiis medulla, quibus materia et forma ejus sensim afficiuntur et destruuntur. Itaque contusiones violentas, praesertim lumborum contusiones, medullae spinalis inflammationes et seri in ejusdem cavo accumulationes, quae et tabis dorsualis et myelomalaciae causa esse possunt, hoc loco non praetermitto. Hydrops

medullae spinalis aut inflammationis aut forsan tabis dorsualis ipsius est sequela.

Causa disponens.

Irritabilitas quaedam systematis omnino nervosi et praesertim medullae spinalis ipsius aucta. Quaelibet vero irritabilitas aucta initium et quasi fundamentum debilitatis est et in debilitatem transit, simulac irritatio rationem naturalem et normalem superat. Ex quo consequitur, irritabilitatem et irritationem sensu relativo sumendas esse. Quod alii nimium est eumque debilitat, ab alio sine ullo fertur detrimento, adeoque fortasse ejus valetudinem sustentat. Sunt igitur, qui sine ullo damno excessibus Venereis se dedant, quibus alii haud dubie succumbant. Tabe autem dorsuali, quamvis praecipue nec tamen sola partium genitalium irritatione nimia, sed humorum etiam praesertimque liquoris genitalis jactura nascente, dispositio ad hunc morbum in illo quoque aderit, in quo secretio seminis nec facilis nec copiosa procedit. Homines igitur fibris siccis et rigidis, gracili habitu, tenuioribusque nervis instructi magis quam reliqui, Venere et omnia gaudentes, ad tabem dorsualem proclives sunt. Si ergo horum seminis dispendium nihilominus justo copiosius, si creberrima irritatione eo perventum sit, ut adeo proclivitas ad seminis secretionem exorta sit, hoc tantummodo toti organismo detrimentum afferre nec nisi dispositionem ad tabem dorsualem augere possit.

Nervi functionibus sexualibus inservientes, e cauda equina originem ducentes, ex hac vim vitalem accipiunt eamque sensibilitatis fontem agnoscunt: itaque mirum non est, quod in tabe dorsuali hujus potissimum systematis nervosi partis exinanitio apparet. — Num vero iis, qui ex imbecillioribus aut Veneri nimium deditis parentibus nati sunt, dispositio ad tabem dorsualem insit, in dubio positum relinquimus; sed ad Venerem aut onaniam in universum procliviores videntur, ubi tunc res in eo verteretur, num tabes oriretur nec ne. Quum numerus virorum tabe dorsuali laborantium multo major sit quam feminarum, inprimis sexus virilis causis praedisponentibus adnumerandus est. Praeterea etiam aetatem mediam a vigesimo ad quadragesimum annum ad tabem dorsualem procliviorem videmus.

Causa proxima.

Tabis dorsualis causam proximam, i. e. naturam veram, qua ab omnibus morbis aliis est diversa, emaciationem et resiccationem caudae equinae ejusque spinalis medullae partis, ex qua oritur, censemus. Quae igitur ubi abesset, nulla tabes dorsualis vera adesset, etiamsi atonia magna, emaciatio universalis, digestio labefactata febrisque adeo lenta exstarent; ea autem accedente morbus ipse accederet. Imo fieri posset, ut hic sine pluribus, quibus alias est comitatus, symptomatibus, e. g. sine pollutionibus, dysuria, hypochondria, vertigine etc. sensim cum omnibus symptomatis essentialibus ori-

retur. Omnium auctorum sententia eo tendit, in hoc morbo medullae spinalis partem inferiorem nervosque ex ea proficiscentes potissimum laborare. Inter omnes quoque constat, seri accumulationem, quam in medullae spinalis canali invenimus, quamvis inflammationis exitus esse possit, hunc tamen plerumque non esse, sed potius saepissime atoniae vasorum absorbentium sequelam, ex plurimorum hydropum natura, nec minus e magna sectionum multitudine, quae copiam seri in ventriculis cerebri lateralibus accumulati sat magnam, adeoque lympham plasticam inter ejusdem membranas exsudatam sine ulla praegressa inflammatione ostendunt.

Status praeterea inflammatorii medullae spinalis praesentiam, priori praesertim morbi in stadio, nullo modo infitias ire volumus, eum tamen magis symptoma emaciationem medullae comitans, quam hujus causam morbi ipsius naturam censemus.

DECURSUS ET EXITUS.

Morbus plerumque decursum observat chronicum et saepe multos per annos durat; contra deficiunt exempla, ubi acutissime decurrit, praecipue in individuis sat adolescentibus, qui morbum excessibus in Venere vel onaniae flagitio efficiebant, vel quum tabes dorsualis morbis acutis

praegressis vires valde exhaurientibus accedit, vel quum phthisis pulmonalis et febris hectica ei se adjungit.

In regionibus ad meridiem versus sitis morbus celeriori decursu gaudere videtur.

Morbus exitus capit:

I. in sanationem, quae quidem nunquam in stadio secundo evenit. In stadio primo autem curatione idonea et causis feliciter remotis vires restaurari possunt; semper tamen aegrotus caveat, ne in morbum eundem recidat. Haud raro vel potius plerumque sanatio imperfecta est, nam hypochondria, dyspepsia et alia ex laesa digestione vitia exorta resident. In feminis tabes dorsualis raro tam magnum quam in viris, assequitur gradum et multo tardiore gaudet decursu. Feminae si nihilominus sanantur, hysteria fere semper restante levari non possunt.

II. in mortem. Multo saepius morbi exitus letalis est. Febris lenta, sudores et diarrhoeae colliquativae aegrotum valde enervantes, haemoptysis, phthisis pulmonum, decubitus gangraenosus oboriuntur et accelerant mortem.

Berends (1) aegros interdum multis ulcusculis pertinacissimis, quae jam medici antiquiores observabant, affectos esse affirmat. Saepenumero aegroti marasmo, aut illa medullae spinalis alteratione sursum procedente et cordis et pulmonum paralysi ex ea coorta pereunt.

---

(1) Opp. posth. T. I, p. 86.

Impotentiam virilem, paralysin extremitatum inferiorum, amaurosin, melancholiam, maniam morbi residua commemoro.

PROGNOSIS.

Quod de hoc morbo ominari licet, breve et triste est. Principio solum morbi, debilitate nervorum nondum nimis magna, paralysi non nimis progressa et digestione non nimis labefactata, aliquid exspectari potest. Caeterum, quo diutius causa occasionalis vim exseruit, quo debilior homo et junior, tunc, quo pauperior est, eo pejor prognosis, in feminis tamen in universum faustior quam in viris.

THERAPIA.

I. Indicatio causalis

ea est, qua masturbationi seminisque jacturae impedimentum fiat. Verum enim vero cura difficillime est instituenda morbo vel recenti, nedum inveterato; neque licet indulgere opinioni, morbum tam gravem totique constitutioni inhaerentem remedio uno alterove specifico, uti dicunt, vel sola cura pharmaceutica tolli et sanari

posse. Tale quid e morbi natura ac indole nunquam continget. Cura potius, qua sola aegrotis auxilium et sanatio afferri possunt, diaetetica sit necesse, quae apto tempore accurataque ratione instituta, modo constanti ab aegroto observata, de regeneratione et salute patientis spem aliquam servari jubet. Remedia vero vel interna vel externa, non mutato toto vivendi genere nec idoneis praeceptis congruente, damnum potius quam levamen miseris afferre valent.

Est medici removere et arcere quodvis irritamentum a partibus genitalibus irritabilitatemque totius corporis, qua leviori quovis influxu magni oriuntur effectus, et praecipue partium genitalium imminuere et supprimere. Vires igitur sunt sustentandae et augendae et id praecipue agendum, ut singulae corporis functiones modo quodam aequali et regulari procedunt. Inde jam sequitur, ut aegrotus nec quieti indulgeat nec labori nimio. Vita sedentaria vel otiosa vel laboriosa morbus increscit, motu vero parco modicoque decrescit. Qua in re cavendum est, ne oriatur hyperaemia partium corporis inferiorum et praesertim genitalium, id quod e. c. equitando fieri solet. E contrario omnes motiones, quibus sanguis aequalem in modum per totum corpus et potissimum per superiorem ejus partem pellitur, utilitatem et commodum parant aegroto, ea tamen restrictione, ut nunquam lassitudinem efficiant, quam facili negotio pollutiones sequi experientia docemur. Neque minus vitandae illae motiones mites et oscillantes, e. g. in aqua.

quibus phantasiam ad imagines procreandas incitari scimus. Lectus, quo utantur aegroti. neque mollis neque calidus sit necesse: petatur vespere satis multo primaque luce relinquatur, simulac expergefacti sunt; somniis enim libidinosis indeque pollutionibus insignes esse horas matutinas neminem fugit. Quod attinet rationem, qua talis aegroti animus exerceatur, illi. qui antea assidue et diligenter animo usus est, otiosa nunc vivendi ratio magnum periculum inferre potest; moderatore enim amisso phantasia solum occupat regnum libidinesque effrenatae nullo duce coërcentur. Itaque haec res gravissima est, ut mentem talis aegroti modo idoneo occupatam teneamus. Quodcunque phantasiae irritamen affert, spurci libri, imagines vel cogitationes libidinosae, quae sensus titillant, strenue est vitandum. idque potius petendum, ut negotiis variis animus morbosis exsolvatur cogitationibus. Quod spectat ad victum, omni cura est cavendum, ne copia ciborum utatur aegrotus nimis magna; saepius cibos sumat, sed manu parca. Diaeta carnea, sed facilis ad concoquendum, vegetabilia amylacea et mucilaginosa, e. g. grana Sag., oryza, rad. salep, olera blanda, saccharina, dauci etc. aegrotanti optime conveniunt. Contra omnia illa alimenta, quae acri principio quodam instructa sunt vel digestionem laedere vel diureticam quandam vim exercere queunt, sedulo sunt refutanda. Talibus enim nutrimentis, etiamsi concoquantur, nullo modo vires exhaustae recuperantur, immo po-

tius incitamentum novum paratur. Plerumque vero accidit, ut digestionem offendant.

Quod de cibis diximus, idem ad potus, quibus utantur aegri, referendum est. Omnes potus calidi et spirituosi, quibus excitamur, detrimentum aegroto inferunt; aqua frigida sola, vel passim cerevisiae, vel etiam vini boni copia modica utatur. Denique commercio et consuetudine abundet aeger hominum, qui morum probitate et integritate excellant, solitudinemque fugiat, quippe qua facillime inducatur, ut libidini pristinaeque indulgeat consuetudini. Instituta tali vivendi ratione remediis quoque internis curae diaeticae vim et effectum augere juvat. Eligantur remedia, qnae systematis nervosi erethismum minuere et deprimere queant, quorum praestantissima dicimus acida mineralia, praesertim Elixir. acid. Halleri gtt. VI — XX in vasculo aquae fontanae semirepleto. Praeterea aeger adhibeat Decoctum rad. Columbo. Contra irritabilitatem partium genitalium nimis adauctam Camphora in usum est vocanda, quae detur aut forma pulveris cum saccharo ab gr. I usque ad gr. II, bis vel quater de die, aut in emulsione ex aqua menthae piperitae cum gummi arabico parata; praeterea nitrum depuratum magnis laudibus hoc in casu effertur. Quae modo allata remedia et diaetica et pharmaceutica si pollutiones tollere non queant, unum adhuc, quamvis mirum videatur, refugium in connubio est, nisi jam prorsus exhausta sit potentia virilis et facultas penem erigendi. Caveat autem aegrotus, ne in matrimo-

nium ducat puellam vix puberem et effrenata coitus libidine flagrantem, vel matronam annis jam provectiorem hymenis ludos jam dispicientem: eligat sibi virginem castam et moderatam. quae mariti cupiditates sive excitare sive nimis excitatas coërcere possit. In coitu legitimo animus, qui apud homines onaniae vitio indulgentes nimis exagitatus esse solet. sibi imagines a vero abhorrentes fingere non potest, quia naturam prae se habet. Coitus cum femina sana neque aetate jam nimis provecta non solum coitus cupidinem imaginibus depravatam moderari, sed etiam partes genitales vitiis debilitatas roborare videtur. Est enim coitus summum atque maxime validum balneum animale: scimus autem. quanta et quam roborans vis in partes paralyticas exseratur, si illis imponantur animalia viva aut viscera bestiarum recenter occisarum calida. Neque vero obliviscaris in adhibendo illo remedio duorum hominum fortunam ac salutem in discrimine versari, neque concessum esse uxoris felicitatem delere. ut maritum serves. Restat autem ultimum, quamvis periculosum remedium. quo pollutiones et detrimenta, quibus aegroti afficiuntur, prorsus tollantur, dico castrationem. At castratio tum solummodo adhibenda est. si ex valetudine et conditione aegroti sperare licet, fore ut operationem feliciter sustineat. Apparet medicum sobrium, priusquam illam operationem admittat, cetera remedia in usum vocaturum esse, neque vero, si non evitanda sit castratio, tempus operationi idoneum omissurum. Negari quidem non potest, ulti-

mum hoc remedium interdum utile futurum, quippe quum aegroti, testibus fere sublatis, ad coitum exercendum jam nullam prorsus habeant vim et facultatem. Si tabi dorsuali aliae causae ansam praebebant ac onania seminisque jactura hasce noxas pro natura et indole morbi oppugnare medici est. Sanguinis, si adsunt, vitia sunt corrigenda etc. —

Indicatio morbi.

Sensibilitate et irritabilitate usu acidorum, camphorae, nitri depurati et remediorum iis similium ad gradum minorem reducta, ferrum in usum vocare licet, si quidem non aliae adsint conditiones morbosae, quae tale remedium vetant, uti pulmonum vel alius organi laesiones; serius etiam missa radice Columbo cortex chinae, sed caute porrigendus. Aptissimum vero remedium ad demulcendum nervorum erethismum et fugandam nimiam potentias externas aegrius ferendi opportunitatem effectumque facilius inde provocatum rejiciendum frigus est, si manu dextra usurpatur. Experientia enim edocti pro certo habemus effectum frigoris duplicem esse, primariumque bene disjungendum esse a secundario, et saepissime fieri, ut timore, ne primario effectu damnum inferamus, a remedio hoc calido plane abstineamus. In casu nostro lotiones subfrigidae secundum columnam vertebralem et in partibus genitalibus institutae idoneum faciunt curae initium. Utilissima autem et prae omnibus aqua frigida utendi rationibus efficacissima sunt balnea frigida, ad quae postea transeundum est. Qua in re notatu dignissimus est effectus primarius, cujus symptomata sese exhibent horripilationibus, perculsis peculiariter nervis, quibus molestiae asthmaticae haud raro quidem afferuntur, neque tamen diu persistunt. Pulsu enim retardato, sanguine ad interna progresso, secretio urinae adaugetur. Secundarius per sensationem caloris in universum corpus dispersam apparens, ut actiones et cordis et nervorum increscant ac vis vitalis attollatur, efficit, id quod ex cute sensim rubescente et calidiore est perspicuum. Serius etiam balnea adspersoria, superfusiones frigidae instituendae sunt.

Contra symptomata hypochondriaca Tart. tartarisat., kali acet. et Natr. phosphor., Extr. gram., taraxaci, chamom., fumar., saponar., chelidon., innulae, sulphur stib. aurant. porrigenda sunt.

In casibus singulis diaeta lactea utilitatem attulit aegrotis maximam. Nonnunquam etiam pro constitutione aliaque conditione individuali aquarum ferratarum usus aegris commodo est. Sunt etiam, qui laudent balnea uliginosa et limbosa (1). Denique memores simus remediorum internorum praestantissimi cujusdam, scilicet phosphori, cujus quidem usum nonnisi paralysi completa vel sublata fere irritabilitate indicatum opinamur.

(1) Vide Rust's Magazin, Bd. XIX, Heft 3, p. 529, sqq.

LITERATURA.

Tissot, Opp. med. T. I.

Wichmann, de pollut. diurna, frequenti sed rarius observata tabescentiae causa. Gotting. 1782.

Loewenhardt, D. de myelophthisi chron. vera et notha. Berol. 1812.

v. Weidenbach, D. de tabe dors. Berol. 1817.

Schesmer, D. Tabis dors. adumbr. pathol. Berol. 1819.

Horn, Guil., de tab. dors. prolusio. Berol. 1827.

Naumann, Handbuch der med. Klinik. Bd. VII.

Hufeland's Journal. Bd. XIII. et XV.

Rust's Magazin. Bd. XII. et XIX.

G. A. Richter, neue medizin. und chir. Erfahrungen.

Horn's Archiv. 1833. Heft I. pag. 63 etc.

Ollivier, de la moelle épinière et de ses maladies.

VITA.

Natus sum Ernestus Kuschel, fidei catholicae addictus, die VI. a Cal. Jan. anni h. s. XIX. Ullersdorpii, vico comitatus Glacensis, patre Bonifacio et matre Theresia e gente Brosig, quos Deus optimus incolumes perdiu mihi servare velit in dies precor. Primis literarum tirociniis domi imbutus, in Gymnasiis regiis Glacensi et Nissensi literis incubui. Testimonio maturitatis instructus, anno h. s. XXXIX. almam literarum sedem Vratislaviensem petii, ubi ab Ill. Hahn, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus, ab Ill. Henschel, t. t. Decano gratiosi medicorum ordinis spectatissimo, medicinae studiosorum numero adscriptus, per sex semestria lectionibus academicis interfui his: Ill. Barkow de osteologia et syndesmologia, de anatome comparata, sicut repetitorio anatomico; Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de instrumentis chirurgicis et de fasciis rite applicandis, uti operationibus chirurgicis in cadaveribus rite instituendis; Ill. Betschler de gynaecologia universali; Ill. Fischer de chemia generali et pharmaceutica; Ill. de Glocker de mineralogia; Ill. Goeppert de plantis officinalibus, quem quoque in excursionibus botanicis secutus sum; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Henschel de encyclopaedia et hodegetice medica; Ill. Klose de pathologia generali, de universa materia medica, de politia medica; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice generali; Exp. Neumann de Schoenleinii systemate; Ill. Otto de anatome corporis humani universa, de historia foetus et de sectionibus forensibus; Ill. Pohl de phy-

sice experimentali, de luce et calore et de electromagnetismo; Ill. Purkinje de hominis physiologia, de psychologia physiologica, de histologia; Ill. Remer sen. de therapia speciali, de medicina forensi et de methodo formulas medicas conscribendi; Cel. Remer jun. de morbis syphiliticis; Ill. Rohovsky de psychologia; Exp. Sachs de therapia generali; Ill. Wendt de morbis ex laesa nutritione oriundis et de morbis psychicis; Ill. Thilo de logice. In theatro anatomico Ill. Otto, in clinicis chirurgicis, ophthalmiatricis, medicis, gynaecologicis Ill. Benedict, Betschler, Remer sen. duces mihi fuerunt.

Hieme anni MDCCCXLII. Berolinum me contuli, ubi ab Ill. de Raumer, t. t. rectore magnifico, inter cives almae Fridericae Guilelmae receptus, apud Ill. Mueller, decanum gratiosi medicorum ordinis maxime spectabilem, nomen professus sum. Hinc interfui scholis Ill. Hecker de rei medicae historia una cum pathologia historica; praeterea scholas clinicas Ill. Juengken, Cel. Wolff, Truestedt, Romberg frequentavi.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, quum, tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso rite superatis, jam in eo sim, ut summos medicinae et chirurgiae honores obtineam, maximas quas possum gratias palam ago semperque habebo.

THESES.

1. In inflammatione vis vitalis aucta non est.
2. Ex signis, quae usus medicaminum apud sanos provocat, vis therapeutica certo constitui non potest.
3. Pulsus signum fallax.
4. Hospitia infantum expositorum nostris laudibus sunt dignissima.
5. Pessime vivunt, qui vivunt methodice.
6. Hypochondria non est morbus, sed morbi effectus.